

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Basileae, 1551

Hipparchus (argumentum)

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-245](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-245)

HIPPARCHVS, SIVE DE LVCRIVS CVPIDITATE.
MARSILII FICINI ARGVMENTVM IN
HIPPARCHVM PLATONIS



PROPOSITVM Platonis in Hipparcho est docere nos, omnes homines bonum appetere, cum & illi qui propter auaritiam aberrare videntur, bonum appetant. Illi siquidem lucri cupidi sunt, lucrum utile est, utile uero bonum: bonum itaq; cupiunt. Etenim lucrum damno contrarium. Damnum uero cum obsit, malum: malo igitur contrarium. Contrarium malo, bonum: lucrum ergo bonum. Quamobrem cum illi etiam, qui ab appetitu boni declinare uidentur, bonum cupiant, nihil iam repugnat quo minus omnes homines bonum appetant. Bonum autem duplex. Vnum finis. Ad finem alterum. Illud propter se ipsum, hoc propter aliud expetendum. Illius appetitio uoluntas, huius electio. Illud uenerandum, hoc utile. Illo fruimur, hoc utimur. Illius adeptio beatitudo, huius lucrum uocatur. Lucrum igitur est boni utilis acquisitio, quod ad uenerandi boni consecutionem conducere potest. Quod uero ad hoc non confert, nec ipsum utile est, nec ei us adeptio lucrum. Laudanda igitur lucri cupiditas, quae omnibus natura inest. Vituperanda autem opinio falsa, quae dum quod reuera utile & lucrum est, ignorat, appetitum naturae ad aduersa retorquet. Haec omnia Plato latenter docet, dum Socrates definitiones falsas, quas Hipparchus de lucri cupiditate refert, & inducendo & ratiocinando refellit. Vititur autem Plato hac propositione, Omnes homines bonum appetunt, tanquam manifesta, ad concludendum quod omnes natura lucrum appetunt, quodq; haec appetitio naturalis laudanda est. Haec autem est conclusio quam modo quodam directo Socrates tribus argumentandi modis infert, id est, exemplo, inductione, ratiocinatione. Sed modo quodam conuerso ex omni hac disputatione per argumentationem a minori colligimus propositionem illam maxime confirmatam, Omnes scilicet homines bonum appetunt, quae huius libri finis ultimus est, cum primus finis sit ostendere, omnes lucricupidos esse, neq; id esse uituperandum.

PLATONIS HIPPARCHVS, VEL DE
LVCRIVS CVPIDITATE, VEL STUDIO LVCRANDI.

SOCRATES HIPPARCHVS.



LVCRIVS cupiditas quidnam omnino tandem est: et qui sunt lucri cupidi? HIP. Mihi quidem uidentur qui lucrandum putant ex rebus nulla aestimatione dignis. SO. Videntur ne tibi, quod nullius precij sint cognoscere, an ignorare: si nesciunt, stupidos homines stolidosq; lucri cupidos uocaris. HIP. At non stolidos, sed uafros atq; improbos uictosq; lucro appello, tum et conscios nullius esse precij, e quibus lucrum captare audent, & tamen per impudentiam lucrari non uereant. SO. Non huiusmodi lucricupidum uocas: ueluti si agricola plantas cognoscensq; nullius precij plantam esse, dignam tamen putet qua lucretur, tale ne uocas? HIP. Undecumq; o Socrates lucricupidus quaerendum censes. SO. Ne ita temere uerba effundas, ueluti alicui ob acceptam iniuriam iratus, sed in me potius attentus responde, ac si a principio rursus interrogarem. Consentis lucricupidum cognoscere quanti sit unde lucrandum putat? HIP. Consentio. SO. Quis est qui circa plantarum dignitatem nouit, qua regione, quo tempore plantare dignum sit, ut & nos aliquid sapientum uerborum quibus elegantes isti causidici abundant, in medium afferamus? HIP. Agricola arbitror. SO. Num dignum lucro uocas aliud quam lucrandum esse existimare? HIP. Id ipsum. SO. CR. Ne me coneris decipere uirum iam senem, iuuenis, respondens quemadmodum nunc quae ipse minime sentis, sed quam uerissime responde. Num agricolam eum iudices, qui quam indignam plantatione plantam scit, ex ea lucrandum putat? HIP. Non per louem. SO. C. Equitem praeterea uirum si nouit nullius precij pabulum quod equo praebet, an ignorare censes equum iri perditum? HIP. Nequaquam. SO. Non igitur putat ex huiusmodi nullius adeo precij pabulo esse lucrum. HIP. Minime. SO. C. Gubernatorem uero qui temone ac uelis nulla extimatione nauem munerit, ignorare censes quod damno afficiatur, & in periculum ueniat, ne cum ipse tum nauis & quaecumq; in nauis sunt, perdantur? HIP. Non certe ignorat. SO. C. Haud igitur putat se ex istiusmodi nullius

Dignum tam
quam affecta-
tum notat